



**Incomparabilis doctrine trium item linguaru[m] peritissimi uiri  
D. Erasmi Rotherodami, in sanctissimorum martiru[m]  
Rofensis Episcopi, ac Thomæ Mori, iam pridem in anglia pro  
Christiana ueritate constanter defensa, innocenter passorum,  
Heroicu[m] Carmen tam elegans q[uam] lectu dignissimu[m].**

<https://hdl.handle.net/1874/420770>

# INCOMPARABILIS

DOCTRINE, TRIVM ITEM LINGVA

rū peritissimi uiri D. Erasmi Rotherodami, in sanctissimi  
morum martirū Rofensis Episcopi, ac Thomæ  
Mori, iam pridem in anglia pro Christiana  
ueritate constanter defensa, innocenter  
passorum, Heroicū Carmen tam  
elegans q̄ lectu dignissimū.

Adiunctis Scoliis cū

Sacratissime ac Catholice Cæsareę Maiestatis tum illius mater  
ni aui Ferdinandi Quinti, Hispaniarum Regis, digna præconia  
continentibus.



Anno M.D.  
mens;

XXXVI.  
Septem:

Non Aquilæ grandi sociatum turgide Pauum  
Galle premes tecum mox Leo uictus erit.

# INCORPARABILIS

DOCTRINE THAT WITH A LITTLE

is contained in the whole

and is not divided into parts

It is a doctrine that is not

to be divided into parts


It is a doctrine that is not

to be divided into parts

It is a doctrine that is not

to be divided into parts

It is a doctrine that is not



XXXXV

1745

XXXXV

1745

It is a doctrine that is not

to be divided into parts

ILLVSTRIS: PRINCIPI A C D D. IOAN S  
ni Comiti Palatino Rheni, Bavarie duci & comiti in Span  
heim &c. confistorij Imperialis Camere, Iudici ac Præ  
sidi, Domino suo clementissimo, Hieronimus Gebe  
nilerus, artium liberalium Magister, & Littera  
riæ pubis Hagnouensis Moderator.

S. D.




bhorrerem penitus nec immerito (illustrissime Prin  
ceps) hiis nugis & ineptiis meis magnificam claritudo  
dinem tuam obtundere, ni iam pridem doctissimo  
rum uirorum testimonio persuasissimum mihi haberem, perspic  
acacem ac generosum celsitudinis tuæ animum, ad quas cunque  
cum prioribus sæculis tum nostra ætate res præclare gestas, (nul  
larum personarum acceptione habita) relegendas, hæctenus fuif  
se & esse propensissimum; Quod quæ rarius nostris (proch dolor)  
Principibus aut nobilibus, uel ecclesiasticæ decuriæ ascriptis, us  
su venire solet, ut scilicet ociosas aut superuacaneas a debito of  
ficio horas librorum lectiõne fallant, tua illustris celsitudo quot  
tidie exequi curat; Succisuas etenim horas quas alij potationi  
bus aleæ aut cæteris uanitatibus impartuntur, ubi a forensibus  
negotijs feriatu sis, diuersarum etiam uetustissimarum histori  
arũ lectioni tribuis. Adeo ad antiquissimas & annorũ quasi cas  
rie absumptas principum & nobilium domos, seu familias, e si  
tu ac squalore in hominum memoriã reuocandas intentus, ut  
etiam gẽtilicia eorundẽ insignia propriis manibus tuis Apellẽ  
ac Xeusim emulãtibus depingere haud dedigneris; Ociosus cer  
te nunquã minus quam cum ociosus, nec unquam minus solus,  
quã cum solus fueris; Taceo summã iusticiã & æquitatem cæ  
teras quæ generosissimi animi tui, uirtutes, quarũ intuitu haud  
temere Cesaris iussu quo fungeris munus obisti; Quæ nobilissi

A ij




mi in genij tui dexteritas illustribus natalibus quasi gēma in au-  
ro retulgens neminem non doctum, ad celsitudinem tuam & di-  
ligendam & amandā permouet: quo circa & ego illustris magni-  
ficentiae tuae minimorū clientulorum rationario inscribi petēs,  
ne uacuis manibus tanti Principis ædes adirem præfens Herois  
cum Carmen a doctissimo Erasmo Rotherodamo paucis mensi-  
bus (ut rumor est) priusq̃ mortem obisset, in sanctorum marti-  
rum Rosensis Episcopi & Thomæ Mori passionem doctissime  
Lusum, celsitudini tuae mittēdum duxi, quod eo gratius illustri  
magnificentiae tuae futurum arbitror, quo integerrimos illos ui-  
ros cum autorem carminis tum eos qui carminis materies sunt,  
uiuentes tibi non dubito fuisse carissimos. Animum præterea  
donantis pluris ipso munere magnifica celsitudo tua faciens  
Hieronimi cleintulifui haud immemor in pilios annos Socra-  
tice uiuat. Datum Haganoæ Kalendis Septembribus  
Anno Virginei partus. M. D. XXXVI.



 D. ERASMI ROTEM  
RODAMI CARMEN HEROICVM  
In mortem Thomæ Mori.



xtinctum flemus crudeli funere morum  
Et regem immanem ueneremq; cruore madentem  
Fortunæq; uices, & læ pellicis iram

Vos mihi pierides, feralia carmina musæ  
Dicite, & mecum uatem lugete peremptum  
Insignem cithara, qui uos persæpe solebat  
Vertice ab aonio molli deducere uersu  
Tuq; adeo mihi Calliope quæ regia facta  
Et casus miserorum hominum cantare perita es  
Nec cedes exhorrescis memorare cruentas  
Dextera ades tu uera erato tu blanda thalia  
Truncatum interea tumulo componite corpus  
Exequias celebrate & spargite floribus urnam  
Ft tumulo castos laurus aspiret odores  
Sacrum laurigeri uatis complexa sepulchrum  
Te quoq; deslere diuum uenerandæ sacerdos  
Roffensis præsul populi qui dura subisti  
Fata prior sancta pro religione tuenda  
Sed uatem canimus uates tua maxima facta  
Vulgabunt alij & præclara uolumina condent  
Attollentq; tuum super aurea sydera nomen  
Tempus erat mundi cum iam aduentante ruina  
Occideret senio iustum, & labefacta deorum  
Religio caderet tot sustentata per annos  
Mortalesq; fidem tota de mente fugassent  
At dolus & fastus, cumq; impietate libido

Et uenerem & uolucristela indignantur amoris  
Ergo aliud meditantur opus dirumq; frementes  
Pellicis insinuant atrum in p̄cordia uirus  
Et stolido regi eripiunt mentemq; animumq;  
Ille scelus firmare suum maioribus ausis  
Enitens sceleri scelus adiicit, & contemptis  
Pontificis summi monitis, quibus ille iubebat  
Eijceret Moecham Talamiq; in iura uocaret  
Legitimam uxorem solitoq; ornaret honore  
Ipse sibi ius pontificis nomenq; sacratum  
Quam late sua regna patent usurpat, & omnem  
Sacrilegus ueterem conuellit religionem  
Et grauius peccat ut non peccasse putetur  
Egregia interea pellex, quæ gaudia sentit?  
In quorum iugulos miserum non armat amantem?  
P̄cipue si quos probitas suspecta & honesti  
Prodit amor, More inscelix sic te tua uirtus  
Perdidit, heu xui scelus atq; infamia nostri  
Tu regni decus, & regi charissimus idem  
Consultor fureas, nec iudex æquior alter  
Iura dabat, heu qua pensant mercede laborem  
Fata tibi: poteras illesam ducere uitam  
Sed minus esse probus uitæ quam dura relicta  
Conditio fuit insonti? si uera professus  
Fatalem exciperet cana ceruice securim  
Sin uitam falsa uellet ratione tueri  
Applaudens stupris infandeq; ambitioni  
Pollueret moresq; suos uitamq; priorem  
Offensamq; hominis mutaret numinis ira  
Ille autem iustique tenax cultoreq; deorum  
Sponte sua ferro caput obtulit & procumbens  
Purpureum fudit sacro de pectore riuum

Fortuna



Fortunate senex animi, tibi regia cœli  
Tota patet, tibi rex superum uiolatiã ferta  
Porrigit ipse manu magno applaudente senatu  
Cœliëolum, & uolucres recinunt pœana ministri  
Omnes intonsi niueis in uestibus omnes  
Quales ad uitreum meandri flumen olores  
Mille uolant, plauduntq; alis & dulce canentes  
Cœruleum nitidis prætexunt æra pennis  
Interea truncum iacet, & sine nomine corpus  
Spectaculum populo durum, at polluta cruore  
Canicies nequid sceleris restaret in ausum  
Præfixa infandi spectanda exponitur hasta  
Opprobrium genti æternum, ne scilicet unq;  
Ignoret tantos ætas uentura furores  
Hoc ne tuæ ueneri Rex o inceste trophœum  
Erigis, & mollem placare sanguine diuam  
Posse putas: iras in te conuertet acerbas  
Ipsa uenus, uindexq; tuos subuertet amores  
Atq; aliis iterum atq; aliis tua pectora flammis  
Vret, & infamis uenient tibi tædiã uitæ  
Tunc memor indigne cædis tua noxiã facta  
Elebis, & inuisa sumes de pellice pœnas  
Pellæus iuuenis furijs agitat, & ira  
Incandens multoq; animi inflamatus Iacho  
Dilectum ante alios inter conuiuia Clitum  
Transfodit ferro & resparsit sanguine mensas  
At postquam furor ille animi discussus & omnis  
Consumptus uini uapor est mentemq; recepit  
Ipse manus inferre sibi sotiumq; per umbras  
Velle sequi, & miseros incassum fundere questus  
Tresq; adeo mestus soles totidem quoq; noctes  
Exegit lachrimans luctu confusus acerbo



Nequicę, neę enim luctu reuocantur acerbo  
Pallentes animę, quas per uada lurida uexit  
Portitor ille charon, & auaro tradidit orco  
Tu quoę dilectum frustra plorabis amicum  
Cum tibi discusso mens pura redibit amore  
Interea horrifico rumpet tua somnia uultu  
Vmbra uiri, multoę caput fedata cruore  
Quo te cumę feres dira occurfabit imago  
Suplitium sæuis expectans horrida factis  
Namę tuis donec regnis exutus & exul  
Eternam implorabis opem rerum omnium egenus  
Morus inultus erit nulla est uiolentię longa  
Vindictęę moram pœna grauiore rependunt  
Numina, iustitiam quorum haud effugerit ullus  
At nos æterna tua tristia funera More  
Infatiabititer desibimus o bone uates  
Tu mortem sancta pro relligione subisti  
Crudelem, tibi diuinos pro talibus ausis  
Mortales debent cultus, tibi templa tibi aras  
Eternum uenerande senex salueę ualeęę  
Seu colis elisium seu cœli lucida templa  
Accipe & hunc nostrum non dura frontem laborem

Finis.

Epitaphium Thomę Mori,  
per Io: S.

Quis facethic? cuius caput ense recisum est  
Quę natat in tetro sanguine, canicies?  
Hic ille est Thomas Morus sic fata rependunt  
Tristia multa bonis & bona multa malis  
Quę circumfistunt diue lugubre cadauer?  
Diua tenax ueri, sancta atę fides, nemesisęę  
Quarum prima fuit causa & fuit altera mortis  
Vlrix iniuste tertia mortis erit.

SEQVITVR, NONNVLLARVM

dictionum & Historiarum presentis carmi  
nis breuissima elucidatio. M. Hiero  
nimo Geb: autore.

**E**xinctum flemus, Proponit statim poeta quam rem hoc car  
mine tractaturus sit, lectorem redditurus eo beneuolentiorē  
Flemus, deflemus Crudeli funere atroci & sanguinolenta  
morte, Immanem saeuū Venerem cru ma: amorem angli  
cani regis in scortum, propter quem nonnulli optimi uiri inno  
center trucidati sunt. Vices, uicissitudines fortunæ cuius uo  
lubilitatem & ludum non inscite Maro noster coriambico car  
mine descripsit, pellicis, meretricis quam priori coniuge re  
iecta Rex anglie uxorem duxit. Vos mihi pierides, Inuocat  
poetico more uates musarum patrociniū, pierides musæ sic  
dicte a pierij montis antro in quo nate perhibentur. Feralia  
dira lugubria seu funebria. Vatem poetam morum. Ab ao  
nio uertice, a parnaso monte phocidis regionis aoniae confini  
musis sacro. Tu quæo calliope Nouem a poetis musæ celes  
brantur a Vergilio decantate e quibus trium dumtaxat Erata  
mus hic meminit Calliopes scilicet Eratus & Thalia: quæ re  
gia facta, alludit ad hoc Vergilianū. Carmina calliope libris  
heroica mandat. Blanda thalia, iucunda Vergilius Comica  
lasciuo gaudet sermone thalia. Truncatum subaudi capite  
Morum Rosensis presul. Cui Ioanni Phiscero nomen fuit.  
Tempus erat Exorditur poeta narrationem haud insulse in se  
rens, quod pietate iustitia cæteris item uirtutibus e mortaliū  
cetu fugatis, propter enormia hominū peccata non citra diuinā  
pmissionem tot hereses & alia nefanda mala cacodemonum  
instinctu passim per Christianū orbem suborta. Furie quæ a po  
eas tres perhibentur. Alcto Tesiphoneac Megera armate

B



instructe Anguineas cristas Serpentes etenim pro criminibus habere finguntur Ceruleos britannos insulares ac mari undique cinctos sic Ver: diuisos orbe britannos, Est et britannia minor quam ueteres Americam dixerunt, Fatorum dispositionis ac ordinationis diuine, non ignoramus aliam fati rationem ab æthiopicis haberi, Vilem animam in fine sortis mulierculam, Stemmate sanguinis nobilitate. At regina prior Ea fuit Ferdinandi quinti Hispaniarum Regis ex Elisabetha filia miræ, pudicitia mulier, Cæsarum Caroli Quinti, & Ferdinandi matertera quam preter cæteras cõpiures animi dotes grecarum & latinarum litterarum pericia nobilissimam redidit, quam & Anglorum Rex Henricus octauus XXX. annos thori consortem habuit. Eiecta & regalibus titulis orba. Nam dominicæ natiuitatis, anno M. D. XXXIII. Ipso natali Ioannis Baptistæ in nobilissime iam dicte Regine monasterio inclusæ regiam sedem, pelle ex sublimata atq; in Anglorum Reginam non citra occultum merorem populû coronata fuit, Ingratum æuum, sane ingratum, maluisset, etenim procul dubio iam dudum mortem obisse, quam ei calamitatis superesse. Magni Ferdinandi, spõdeus in quinto loco. Hic est ille magnus Ferdinandus Quintus, eius nominis Hispaniarum Rex, maternus Inuictissimorum Caroli Quinti ac Ferdinandi Cæsarum, Auus, qui plurium annorum bello Mauros in Betica dominantium opes oppugnauit, postremo totis regni uiribus connixus, cum Isabella coniuge, Granatam obsidione cingens, tandem (Maximiliano Cæsare imperante) dicte Maurorum gentis regnum in ea terra funditus euertit: Mele maurorum rege cû regia urbe in potestatem redactio, atq; demonum cultu undiquaque explorato, templis, item ac sacellis Christo ac diuis sacratis, opidatim & pagatim extructis: Hispaniam preterea omni superstitione purgauit, exactis inde Iudeis omnibus & his qui Iudeorum ritibus imbuti, nomine tenus Christiani uulgo Marrani dicuntur quorum magna uis erat. Hesperia



ria ora, Hispania quæ id nominis ab hespero occidentali stella  
fortitur, N. si sua progeniges, Carolus quintus Cæsar nepos ip-  
sius ex filia Ioanna, Habuisset profecto iã dictus Ferdinandus  
neminem hispaniarum Regum pietate, iusticia, æquitate, bellicis  
item uirtutibus parem, ni sacratissimus Cæsar Carolus quintus  
modo nominatus, a parentis & aui sui obitu, paterna regna hære-  
ditario iure consecutus, atq; a Maximiliani Cæsaris aui sui obitu,  
unanimi Germanie procerum consensu Imperiali diademate  
insignitus, tot tantasq; clarissimas uictorias passim & e Gal-  
lis & perfidiss: turcarum gente quas recuperatis nuper in Aphri-  
ca Tunis prostrauit adeptus esset: Cuius incõcussum animũ ad  
debellandos rebelles ac supbos facilius agnosces quod potens  
tem Galliarũ regem Frãnciscum ob certas occultas machinatio-  
nes & tractatus cum perfidissimo Turca, & aliis nonnullis ortho-  
doxe fidei et Christiane Ecclesiæ repugnãtibus, initas, suspẽctũ  
in regno suo torti manu hostiliter inuadere, atq; humiliare non  
formidauit, quocirca multis iam terror factus qui eundem in Cæ-  
sarem electum cum risu & cachinno puerũ appellitare haud eru-  
buerint, nunc nõ sine tremore inter sese de illo mullitantes, quis  
putas (inquunt) puer iste erit? nam & manus Domini, cum illo  
est, de quo & diua Brigitta in suis reuelationibus olim uaticis  
nata, pudicum facie & Gallias domiturum & ubiq; regnaturũ  
cecinit. Quis enim ille pudicus facie censendus est quam hic Cæ-  
sar noster Carolus, in cuius facie nullius impietatis aut hereseos  
macula, nullius iniusticie aut tyrãnidis nota reperiri põt. Cuius  
conatus eo tendit, ut tum orthodoxam fidem tum immaculatã  
Christi sponsam Ecclesiam tam a serpentina hereticorum quam  
a leonnia tyrannorum persecutione tutam & quietã reddat: illoq;  
deuicto barbaro crucis hoste, pacem & unionem restituat, quod  
tam sanctum ipsius propositum dy secudent.

Ipsē sibi ius pōtificis, Constat anglorum regē quo facilius præsūmptum cum pellice matrimonium quodam fūco palliaret totū uicariatus Christi nomen in suo regno sibi usurpasse, sanctissimōrū cōciliōrū decreta penitus reiiciendo. Inuisa sumes de pellice pœnas. quod præsenti anno (si famæ credendum est) nō citra iustum Dei iudiciū euenisse audiuimus, iam dicta pellice cū adulteris seu potius amatoribus ultimo supplicio affectis, Pelles iuuenis, Alexander magnus Rex macedonum sic a pella macedonum ciuitate nuncupatus, Lucanus:

Vnus pellego iuueni non sufficit orbis, Velle, uolebat, soles, dies, Interea horrifico, constans opinio est homicidas eorum (quos minus iuste neci dederunt) manibus torqueri, ut a Remo Romulus & a matre Clytemnestra orestes. Vindictæq; moram, Lento quidē gradu (ut inquit) Val: Max: ad uindictam sui diuina procedit ultio, tarditatemq; supplicij grauitate compensat. Diua tenax ueri; hoc est ipsa ueritas. Sancta Catholica & Christiana fides, Nemesis, dea punitionis & Vltrix omnis iniusticiæ.

## VITA D. IOANNIS

PHISCERI ROFENSIS EPISCOPI

ex D. Erasmi Rotherodami scriptis

elicitā,

Hæc sunt uerba Erasmi Rotherodami, in præfatione operis *H*deratione concionandi nuper editi. Hanc (inquit) operis siluam (sic enim appellare malimq; opus) non quidem promissam, sed tanta dumtaxat cogitatione propemodum destinata Ioanni Phiscero Episcopo Roffensi, uiro singulari pietatæ atq; eruditione, Qui cum mihi uetus & arcta intercessit amicitia. Is enim potissimum me litteris suis ad hoc laboris impulit, Significans



cans se in celeberrima schola Cantabrienſi, cui perpetuus erat tu-  
 tor (illi Cancellarium uocant) tria inſtituere collegia, unde pro-  
 darent Theologi, non tam ad Logomachias armati, q̄ ad ſobrie  
 predicandum uerbum Dei inſtructi. Erat ipſe ſingulari lingua-  
 gratia præditus, atq; hoc nomine olim egregie charus regis Hen-  
 rici, qui nunc Angliam moderatur, auix paternæ. Quæ complu-  
 ribus in locis, non mediocribus ſalarijs cōſtituebat, ſi quos repe-  
 riſſet idoneos ad populo tradendam philoſophiam Euangelicā  
 Atq; etiam in hunc uſum, ingentem pecuniarū uim Ioanni Epi-  
 ſcopo tradidit, Qam omnem uir integerrimus uel in prouehen-  
 das Eccleſiaſtas, uel in ſolatium egenorum impendit, Adeo ni-  
 hil inde ſibi detruncans, ut ſuas etiam facultates largiter adderet  
 Recte iudicarunt & Heroïna illa ſancta, & Epīſcopus uere pie-  
 tatis unicū Exemplar, nihil eſſe quod ad emēdandos populi mo-  
 res plus habeat momenri, q̄ ſi per idoneos Cōcionatores ſpurgi-  
 tur ſemen Euāgelicæ doctrine. Et infra. Deſtentur merces nau-  
 fragio amiſſe, At quæ merx tam præcioſa, ut cum ſincero amico  
 coferri queat? Quid igitur hac tempeſtate crudelius, quæ me-  
 tot ſpectatiſſimis amicis ſpoliauit? Prīdem Guilhelmo Varra-  
 mo, Archiepiſcopo Cantuarienſi, nuper Guilhelmo Mantioio,  
 Epīſcopo Roffenſi, & Thoma Moro, qui fuit eius regni ſupre-  
 mus iudex, Cui pectus erat omni Niue cādidius, ingeniū, quale  
 Anglia ne habuit unq̄ nec habitura eſt, alioqui nequa q̄ in ſceli-  
 cium ingeniorum parens.

PASSIO EPISCOPI ROFFENSIS  
 & Thome Mori,

Sexto Nonas Iulij obtruncatus eſt in Britania Thomas Mo-  
 rus, non minorem conſtantiam in iudicio & ſuplicio pre ſe  
 ierens, q̄ iniquiſſimo Athenienſium, Senatus conſulto condem-  
 natus Socrates. Paucis diebus ante illum interfecto Epīſcopo



Roffensi. In quem Regis furor non alia causa uehementius exarsit, quod is in Cardinalium ordinem a Pontifice esset cooperatus. Sed audi, quod uincit omnem ueritatem. Caput Roffensis inditum stipiti, multis diebus omnium oculis fuit expositum. Quod non modo non contabuisse, uerum etiam multo uenerabilius esse factum ferebatur. Vbi is rumor percrebuit, mox amotum est loco. Et nequid in Mori capite existeret, quo populus religione turbaretur, audi iam facinus immanissimum. Renouata est Thiesstea Fabula, & caput eius non nisi longa coctura maceratum, quo celerius diffunderet, hastili est impositum. Causae feruntur tres. Prima, Noluit iurare secundum formulam Lutheri, se credere, nullum esse eius Pontificis in rebus Ecclesiasticis, sed Regem Angliae esse caput Ecclesiae Anglicanae. Secunda, Noluit affirmare ultimum Matrimonium rite factum, aut priorem uxorem recte repudiatam. Tertia, Afferebantur litterae ad Roffensem scriptae, ut uel Dux esset uel Comes, fortiter pro ueritate occubendi, se enim paratum esse ipsi uitam impendere. Quod ille fecisse & recte fecisse se asseuerabat. Ita quod Iudicium sententia uir optimus exitum uitae, quem dixi, sortitus est.

Actum. Anno M. D. XXXV.



#### Errata

Folio ij. in Epistola clientuli, lege clientuli  
Folio iij. in penult: uersu, & lege que  
Eodem fo: reuoluto, carmine, uero xx. fureas leg: fueras  
Folio iiij. fo: conuerso, carmine, xvi. insatiabiliter lege  
insatiabiliter.

Excusum in Imperiali Camera, & Opido Haganau,  
per Valentinum Kobian: Anno.  
M. D. XXXVI.